



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XII. Gregorii Papae I. Ad Petrvm Episcopvm Tricalitanvm. De  
visitatione Agrigentinae ecclesiae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

fura prohibetur. Sed per excellentissimum Romanum patricium, & per eminentissimum præfectum, atque per alios ciuitatis suæ nobiles viros importune expetit, vt hoc debeat concedi. Nos autem solícite requirentes ab Adeo- dato diacono quondam fraternitatis tuæ cognouimus, quia nunquam consuetudo fuerit decessoribus tuis, vt in letaniis pallio nisi in solennitate beati Ioannis Baptistæ, & beati Petri apostoli, & beati martyris Apollinaris vterentur. Cui quidem nequaquam credere debuimus, quia multi apud ciuitatem fraternitatis vestræ responsales sapius fuerunt, qui se fatentur tale aliquid nunquam vidisse. Et de hac re multis potius credendum est, quam vni pro sua ecclesia aliquid attestanti. Sed quia nos fraternitatem vestram contristari nolumus, & petitionem filiorum nostrorum apud nos minime frustrari; vsum pallii, donec subtilius veriusque aliquid cognoscamus, in letaniis solennibus, id est, die natalitio beati Ioannis Baptistæ, & beati Petri apostoli, & beati Apollinaris martyris, atque in ordinationis vestræ celebratione concedimus. In secretario vero secundum morem pristinum susceptis ac dimissis ecclesiæ filiis, induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad Missarum solennia ita proficisci, & nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare; ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam quæ licere poterant adimantur. Data mense Octobri, indictione 13.

## EPISTOLA XII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD PETRVM EPISCOPVM TRICALITANVM.

De visitatione Agrigentinae ecclesiæ.

*Gregorius Petro episcopo Tricalitano.*

QVONIAM Agrigentinae ecclesiæ a nobis fraternitati tuæ visitationis commissæ est cura, laboribus tuis aliquid ex ea vtile prospeximus consulendum. Propterea Maximiano fratri & coepiscopo nostro scripsimus, vt quartam, quam eiusdem ecclesiæ episcopum oportebat accipere, a die visitationis tuæ, vel quousque illic eam sollicitudinem gesseris, tibi debeat applicare. Vnde fra-

*Concil. Tom. 13.*

Ddd ij

ternitatem tuam necesse est mente sollicita cogitare, vt cuius fructus ecclesiæ percipit, operam studeat solerter impendere, atque ad Deum illic animas congregare, prauos ab iniquitate compescere, & incipientes bona opera, verbo exhortationis nutrire, memor quod de ecclesiâ vniuersali dictum est: *Panem otiosa non comedit.*

Pras. 31.

## EPISTOLA XIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD GAUDENTIVM EPISCOPVM NOLANVM.

Visitacionem Capuanæ iniungit ecclesiâ.

*Gregorius Gaudentio episcopo Nolano.*

Grat. dist.  
61. c. Quo-  
niam.

**Q**VONIAM \* Festus Capuanæ ecclesiæ episcopus, in Ro-<sup>\* ad. 50</sup>  
mana ciuitate positus, de hac luce migravit, curæ no-  
bis fuit, quæ vniuersis ecclesiis a nobis impenditur, ad fra-  
ternitatem tuam præsentia scripta dirigere, vt memoratæ  
ecclesiæ visitator accedas: sic tamen vt nihil de prouectio-  
nibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel  
quidquid præfati loci esse patuerit, a quoquam præsumi  
patiaris: sed omnem vigilantiam atque cautelam circa  
clerum plebemque eiusdem ecclesiæ exhibere te conue-  
nit, vt in vigiliis obsequioque ecclesiastico, sedulo ac de-  
uote debeant deseruire; quatenus fraternitatis tuæ instan-  
tia atque adhortatione tales se in seruitio diuino exhibeât,  
vt irreprehensibile eorum valeat obsequium reperiri.

## EPISTOLA XIV.

## GREGORII PAPÆ I.

AD CLERVM ECCLESIAE CAPVANÆ.

De visitacione ecclesiæ Capuanæ Gaudentio commissa.

*Gregorius clero ecclesiæ Capuanæ degenti Neapoli.*

Grat. dist.  
61. c. 19.

**Q**VONIAM Festus Capuanæ ecclesiæ episcopus hic po-  
situs de hac luce migravit, curæ nobis fuit destituta  
ecclesiæ visitacionem fratri & coepiscopo nostro Gauden-  
tio Nolanæ ciuitatis episcopo sollemniter delegare, cui de-  
dimus in mandatis vt nihil de prouectionibus clerico-  
rum, reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam vsurpa-  
ri patiatur. Cuius vos assiduis adhortationibus conuenit